

Exercitatio academica de etesiis ... / [Immanuel Weismann].

Contributors

Weismann, Immanuel, 1683-
Camerarius, Rudolf Jakob, 1665-1721.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Johann-Cunradi Reisii, 1705.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/d5sk2xa8>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

De

ET TESIS,

Quam

AUSPICE DEO TER- OPTIMO, TER- MAXIMO!

IN ALMA EBERHARDINA,

Sub PRÆSIDIO

DN. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII,

Phil. & Med. Doct. & Profess. Publ. Ordinarii,

DECANI Facult. Med. Spectatissimi,

PATRONI atque PRÆCEPTORIS sui ætatem
VENERANDI,

IN AUDITORIO MEDICO

Ad diem 29. Augusti

Hor. antemer.

Amico Comæditonum examini submittet

IMMANUEL Weisemann/

Waiblingensis.

TUBINGÆ,

Typis JOHANN-CUNRADI Reisl,

Ætate M. D. CC. V.

VIRIS
THEOLOGIS.

ECCLESIASTICIS LITERARIISQUE MUNERIBUS
CONSPICUIS.

DN. ERYCO WEISSMANNO,

Serenissimo Würtembergiæ Duci à Consiliis Consi-
storialibus, Monasterii Albæ Minorum Abbati, Ecclesiæ-
que Cathedralis, quæ Stuttgartiæ est, Antistiti
Gravissimo.

DN. M. FRIDERICO CHRISTOPHORO
WEISSMANNO,

In Cœnobio Bebenhusano Ecclesiæ MINISTRO, Ju-
ventutisque ibidem Studiosæ ac suo quondam in PHILOSOPHIA
PRÆCEPTORI meritissimo.

&

DN. M. CHRISTIANO EBERHARDO
WEISSMANNO,

Serenissimi PRINCIPIS Sacellano Aulico dexterrimo.

*PARENTI Suo ad cineres Honoratissimo,
Et de Salute sua omnigenâ Meritissimo.*

FRATRIBUS insuper Suavissimis.

Hoc
Specimen PHYSICO-MEDICUM
tanquam

PIETATIS suæ & AMORIS monumentum
consecrare voluit

IMMANUEL Weissmann/
Respondens.



Σ. Θ.

Er nuperas ferias *Disputationem* meditantibus tempestrivum videbatur thema, quod ipsi dies caniculares offerebant, quorum temperando aestui Etesias destinari, longâ traditione prætenditur. Movebat magistrorum artis autoritas, quorum nihil temerè prætermittens diligentia specialiore quoque ventorum passim facit mentionem; testimonia exhibebimus in progressu ex Coo & Pergameno abundè, ulterioremque ipsis lucem facerabimur ex Stagirita & Eresio. Inter desiderata Medicina Georg. Hieron. Wel-schius in *Somnio Vindiciani* retulit num. 13. meteorologiam Vett. & Recent. redactam in systema, ad usum medicum, cuj. nr. 14. prudenter subjungitur Chorographia medicinalis; nam & Hippocratis libellus de aere, aquis & locis hac connexa complectitur. Liceat ergò naturam Etesiarum transsumere ex philosophiâ, & applicare ad Medicinam, ut clarius pateat, quid abhinc pathologia corpori humano mali metuat, vel hygiene & therapia boni promittat. Ducat nos veritatis Spiritus!

Historiam Etesiarum & potiora phænomena complexus est Galenus in comm. 3. ad 2. hipp. d. morb. vulg. ubi ita: Cùm æstivum tempus suapte naturâ semper sit calidum, si ventorum vacuitas accedat, æstus necessariò consequitur, quod usu venit, cum neque venti, qui prodromi vocantur, spiraverint, neque ii, qui eos consequuntur, quos etesias nuncupant. Ardentissimo enim æstatis tempore, canis oritur, hocque tempus est dierum quadraginta; incidit autem hoc in idus quintiles. Ante canis exortum octo fermè diebus perflant aquilones, quos prodromos vocant; duobus post exortum diebus iidem aquilones constanter perflant diebus quadraginta, quos etesias appellare solent:

leat: *Eis creditur molliri solis vapor, geminatus ardore sideris; Nec ullos ventos magis statos facile reperies; atque hi spirantes, multas morbosas affectiones in corpore humano abstergunt.* Quibus utrique verbis Etesiarum tempus, ortum, durationem, plagam mundi, qualitates & usum proposuit, quæ proin omnia ex veterum primò monumentis illustrare, dein juxta recentiorum & proprias observationes ad nostra loca & tempora examinare & applicare studebimus.

Perhibentur Etesia venti stati, anniversarii, quæ nominis ratio, æstivi, canicularis. *Aristoteles meteor. l. 2. c. 5: Etesia flant post versiones (solstitium æstivum) & canis ortum, & neque tunc, quando maxime propè fuerit sol, neque quando longè.* Specialiori hinc prædicato audiunt diurni, hæc enim statim sequuntur loc. cit: *Diebus flant, noctibus autem cessant.* Et apud *Theophrastum Eresium* lib. d. vent. *Cum sole occidente desinunt, & noctu non spirant.* Apud *Plinium Hist. Nat. l. 2. c. 47: Etesia noctu desinunt flare, & à tertiâ diei horâ oriuntur. Noctu auster, interdum aquilo vehementior.* Ille infernus ex imo maris spirat, undè fluctus majores, quàm aquilone, qui summo. *Septentriones impari ferè desinunt numero, quæ observatio etiam in multis aliis rerum nature partibus valet.* Scitum est, quod ait *Seneca in quaest. nat. etesias ob hoc somnolentos à nautis & delicatos vocari, quod, uti ait Gallio, manè nesciant surgere.*

Sunt etesia aquilones, venti septentrionales. In probl. *Arist. s. 26. n. 2.* & apud *Theophrastum* l. c. quaeritur: *Cur aquilones, non austri, fiant è τῆς ἡμέρας, anniversarii?* (quomodò comparatum sit cum etesiis post solstitium hybernum, cum flatibus chelidoniis, avicularibus, ornithiis, levconctis, quorum & in *Epid. Hipp.* mentio, viderint alii, vel videbimus alibi.) Addit tamen *Aristoteles: Etesia gyraunt habitantibus circa occidentem ex aparchiis in thrafcias, argestas & Zephyros, incipientes quidem ab urjâ, terminantes orientem ad eos, qui longè. His autem, qui ad orientem, gyraunt usque ad apelioten;* consul. *Ferr. Imperati hist. nat. p. 304. Plinius autem: In Hispaniâ & Apâ ab oriente flatus est eorum, in ponto ab aquilone, reliquis in partibus à meridie.*

Sunt venti sereni, sicci, frigidi; hoc enim & plaga mundi è qua spirant arguit & anni tempus quod recreare debent, illa frigoris est, hoc caloris. *Theophrastus* tamen: *Aquilo & præsertim etesia iis, qui ad meridiem habitant & orientem, pluvii sunt: ibi serenus ventus, ubi primum oriuntur, contra pluvius ac nubius, quò pellit aerem.* *Galenus & Plinius* molliri etesiis

Solis vaporem, i. e. temperari scribunt, dicuntur apud Senecam illi flatus æstatem frangere, & à mensium ferventium gravitate defendere: Sed & in margine editionis meæ Plinianæ legitur solis vapor mollire etefias; ne sic quidem malè, quoniam aquilo toties per annum nimis quàm rigidus est, quia ipsam apud nos æstatem sæpè distemperat; ut nam tum molliretur, cum vineas nostras radens gela minatur: de quo infra.

Talia veteres olim de Græciâ & Italiâ; quæritur, quid de Etésiis recentior ætas? Res utique est experientia, de quâ moderni Græci & Itali tenentur perhibere testimonium, aut quos curiositas eò ducit, vel in Ægyptum & Africam. Nos nostra tangunt; an nobis sint tales etefiæ? *Varenius* Geogr. in Germaniâ non spirare scribit, sed ut ingenuus est, optat observationes accuratiores; Italiâ sanè & Galliam in eodem numero recenset, in Gallia in parte Aquitania anniversarium esse aliquem ventum meminit se legisse aliquando; (*Scaliger exerc. 49. Etefias in Vasconiâ non sensimus, alibi potius subsolanos. Et in Scaligeranis edit. colon. anno 1690: prognostica rusticorum in regionibus calidis vix fallunt, hinc verò sepiissimè, nam nulla prognostica valent.*) tandem, in canicularibus nostris, pergit *Varenius*, boream sæpè flare, non est negandum; Cui subjungit *B. Sturmus* in Dissertatione de Aeris mutationibus, mirèque per univèrsum terrarum orbem variantibus tempestatibus, cap. 2. phæn. 15: *Et nos non semel eodem anni tempore in hoc nostro horizonte flatus ejusmodi boreales blandos sensimus:* sed cap. 3. §. 18. ex *Kirchero* refert, eodem tempore sentire regiones cismontanas septentrionalem, transmontanas australem ventum; sermo autem ipsi ibi est, de montibus carpathicis & tauricis.

Nos ante omnia dubitamus, an Etésiæ Græcis fuerint ad eò statim, ordinati, & constantes, ac vulgò traditur, idque ex hac ratione, quia non solum *Theophrastus Ereusius* anomalix & inæqualitatis eorum non unius meminit expressè, verùm insuper *Hippocrates* plures habet constitutiones æstivas, in quibus Etésiæ desiderabantur; & in aphorismis quotidianarum per annum constitutionum aquiloniarum meminit potius generaliter, quàm restrictiùs ad solam æstatem. Unde secundò thesis nostra pro nostrâ TUBINGA hæc est, quam observationum per multos annos habitatum fide suffultam prætendimus: Eurum serenitatis vel causam vel comitem aut indicem, (plebi nostræ ventum inferiorem, quia fluxus Nicri ad Urbem est ab occasu ad ortum, à nigra sylva ad humiliora & inferiora Patriæ loca) qui plus minusve deflectit ad Septentrionem, observari utique flantem etiam per dies caniculares, & aeris

calidiorē intemperiem meridianam & pomeridianam ventilare vel aurā vel flatu, cui frigidula qualitas gratiam tunc conciliat: Hoc autem quadraginta vel triginta illis diebus nec esse universale, si annos plures inter se conferas, nec peculiare, si anni partes examines, i. e. nec omni, nec soli tempori caniculari proprium, sed commune æstati, imò reliquo anni, prout scilicet à causā quarendā inferiùs contigerit quocunque tempore excitari flatum ex illā mundi inter ortum & septentrionem plagā, quod & intra & extra dies caniculates potest & solet fieri modo incerto, non æquabili, non ordinato, sed jam sæpiùs, aliàs rariùs, durat modò longius, modò breviùs, cum gradu frigoris minore vel majore, ita tamen, ut utique nunquam blandior, nec magis tempestivè veniat, quàm cum æstate calet maximè. Interim prædicata euri & euroboreæ, quæ videtis apud Physicos & Geographos passim, quæque per reliquum annum de hoc flatu verificantur, competunt ipsi etiam suo modo per æstatem, & illam æstatis partem, dum sol in leone est, ubi etesiarum nomen fert. Validissimus hic ventorum est ad procurandam Barometro altitudinem, ad promovendum, conservandum imò relevandum Mercurium in suā scalā ad gradus pro quadrantibus anni altiores; qualis utique in *Ephemeridibus Tubingensibus* à Præside descriptus legitur. Hic flatus hunc servat communiùs ordinem, cum serenitatem fovet constantiorem: Qui primò fuerat euroboreas, qui spirarat fortior & rigidior, qui venerat magis matutinus, qui mercurium elevaverat, is sequentibus diebus mutatur sensim, ut tardior surgat seriùs, ut lenior spiret mitiùs, ut tandem fiat eurus, euronotus, & mercurium usque magis dimittat. Hæc enim est dicenda ventorum circulatio, à lævā ad dextram, ab ortu per meridiem ad occasum, à sereno ad nubilum; Nisi noviter properet interveniens euroboreas, & nubes abigat, minari visas tempestates resolvat; Quod utique hoc anno per Augustum fecit egregiè, toties meridianus, tempestivus, recreatorius omnium, sed eo ipso simul longæ siccitatis patronus. In ENC. 2. 4. 123. de excessivā anni 1684. siccitate *Sommerus*: Toties cælum pluvias promittere visum redditum fuisse sudissimum, dispulsa nubes, sine pluvia, cum oriretur ventus frigidus, à physicis Circius dictus, ex plagā quidem inter septentrionem & occasum. Nec nos negamus, omnia prædicata, omnes proprietates etesiarum habere interdum, sed rariùs, hujus quoque plagæ ventum, nam id ipsum observavimus, & olim ejus mentionem fecimus in ENC. 3. 8. 86. occasione serenitatis cum Eclipsi Solari sub finem prioris Seculi.

Ab historiā ad ætiologiam: Quandoquidem *Theophrastus* à solis motu ultrò citròque comitantem aerem, flatus & in specie etesias deducit, quapropter

propter ipsi adde *Plinium*, qui l. c: *A levo latere in dextrum* (ut sol) *ambunt venti*, pro circulatione prius annotatâ. Materia passim traditur nix & glacies septentrionalium, quam non nisi sol propior æstivus, de die, non nocte liquefaciat, undè varii spirent halitus & flatus, tam pro liquefactæ materiæ diversâ quantitate, quàm locorum differentiis in viciniâ, distantia, & situ plus minus directo: Apud Cretenses, qui prætenderant, nivosiore esse hyemes, quàm fuerant olim, & esse plures etesias, necesse est, scripsit iterum *Theophrastus*. An ergò pro fonte etesiarum montes ipsius insulæ? an vicini, non remotissimi, quos pro boreæ spiraculo sub ipsâ ursâ sibi concepit *Hippocrates*? An Pyræni pro Hispanis, Apenninus pro Italis, Carpathii montes pro Græcorum etesiis, ut voluit *Kircherus*? Huc modò talia non quadrant, ubi etesias non habemus ab alpibus ex meridie, sed ab inferiore, meliore, Ducatûs parte; aquilo nobis jam aquilo est, i. e. frigidus, siccus, antequàm alpes transierit, & audiat *la tramontana*, quam horrent Itali.

Famosa est pro conditione hujus temporis stella fixa, canis majoris, cujus vel eâ de causâ hîc facienda mentio, quia passim ortus ejus & quarundam porrò fixarum occurrit in laudatiss. libris. *Hippocratis*. Hunc in compendio *Galenus* exhibet in comm. ad aph. 1 4. l. 3: *Ortus plejadum principium est æstatis: post quem canis ortus oporam appellatam inchoat, quam etiam secundam partem æstatis vocant. Post hanc arcturus oriens, initium facit autumno. Deinde occasus plejadum hyemis principium adducit. Et inde, quod hyemem sequitur æquinoctium, veris exortum.* Mutationes aeris & morborum sub hæc tempora magni utique habuit *Hippocrates* & *Galenus*, nam passim inculcant. *Job. Kepplerus* in Epit. Astronom. Copernic. l. 3. ubi de ortu poetico, de Sirio ita: *Est stellarum maxima, est ab Ægyptiis creberrimè observata, prognostici causâ, (à gente scil. cui pro Deo colebatur, à cujus exortu omnes spes suas suspendebant) Erat ortus ejus insignitus Etesiarum flatu in Græciâ & Ægypto, re celebratissimâ apud veteres historicos. In summâ, quidquid naturaliter evenit illâ parte anni, ob æstum adultum, jamque discessu solis marcescentem, id huic sideri fuit ascriptum; ut, quòd gravescit æstas, fervent maria, morbo carbunculari infestantur uvæ, vina mutantur, canes in rabiem aguntur, morbi ingruunt, cura morborum difficilis evadit. Denique illa pars anni totis jam bis mille annis cognominati sunt dies caniculares.* Sed pergit: *Veterum opinionem, fidus esse efficax, & generare magnam auræ commotionem, siderum exortu vel occasu vehementiores tempestates effici, aut saltem significari, refutat nostra ætas, quandoquidem sidera sedibus suis in Zodiaco pristinis excessere,*

tempestates verò cum sole redeunt; retinet qualibet pars anni suam naturam, suumque ingenium, stellis fixis magis atque magis in dies sequentes migrantibus. Tandem postquam operosus illustrasset & emendasset obscure dicta veterum de cane, & calculo ducto demonstrasset, quantum interfit inter ortum tempore Hippocratis in Graciâ, & tempore suo in Germaniâ, quo cum Zodiaci gradu fuerit utrinque ortus heliacus, i. e. matutina sirii ex radiis solis emersio, tandem, inquam, concludit: *sam penes nature consultos est, utri vim canicularium tribuere velint, solis altitudini, an sideri canis?*

Verum enim verò solis & fixarum cuivis loco quovis anno ortus idem est, sed modus aeris non idem. *Fr. Vallesius* in comm. ad l. 2. epid. ita: *Calidiorum aut frigidiorum, humidiorum aut sicciorum annorum anno facit, non accessus aut recessus solis, hic enim equalis semper est, sed pluvia multa aut parca, & ventorum species præcipuè. Ut quidem hæc sint, aut non sint, sintve plus aut minus, consentaneum est, varios astrorum aspectus facere, quorum secundum singulos annos mira est differentia, cum hæc inferiora à supernis illis lationibus gubernentur. Nam si omnia haberent eodem modo in superioribus illis corporibus, cur non eodem modo etiam hic haberent, aut fierent. Ceterum hæc ipsa afferunt hanc aut illam temperiem, pluvias aut flatus afferendo, aut contraria. Ascendit etiam ad superiora Helmontius, & in cælo quærit, quod ventorum valvas pandat vel claudat, valvarum enim claviger est stellarum motus: Ventum ergò dicit aerem fluentem, motum per blas stellarum, quod complacuit Aeterno collocare in stellis, tanquam vim motivam enormiticam, mandato oris nostri non absimilem, quæ strata & fundos aeris diversimodè movet, & qualitates primas causat hîc infra ratione itineris per loca & secundum aspectus, non secus ac animi motus in hominibus frigus & calorem concitant.*

Sturms mutationes aeris immediatè à ventis deducit, ventorum fontes in terris statuit, determinationem halituum excitatorum quærit in angustiis montium & nubium, particulares effectus in conditionibus singularum regionum in se & ad vicinas, (curum e. gr. siccum à longo terrarum versus ortum tractu) variabilium in specie apud nos in zonâ temperatâ tempestatum causas fundat in dispositione terrarum & marium, hîc multò quàm in torridâ inæquabiliore & irregulariore; Et in his subsistit, in his scil. inferioribus, quæ universalem solis actionem ita determinant, excludit autem Planetas ab istâ suâ meteorologiâ. Inter argumenta exclusoria virtutis planetariæ quamplurima, duo sunt, à ventis stas desumpta, quæ huc redeunt: *Esse vices annuversarias stas ventorum ac tempestatum sub torridâ zonâ, esse constantie*

stantie illius & equalitatis velut umbram quandam in etefiis & ornithiis, à solutis montium nivibus, cœlestium interim constellationibus & aspectibus nequicquam variantibus, nec ordinem illum utrinque intervertere valentibus: Græcorum etefias quotannis iisdem mensibus spirasse, & apud nos quoque estate mediâ lenes quosdam à boreâ flatibus sentiri, quicumque interim vel planetarum singulorum positus vel mutuum eorum aspectus in cœlo fuerit &c. Atat, suam, quæ ibi periclitari videtur, causam agant Astrologi, nos simpliciter ea tangimus, quæ nostrum thema tangunt: Primò, argumentum à Zonâ torridâ nimis è longinquo petatum est, quàm ut pro sufficienter expedito haberi possit; secundò etefias ita constantes Græcis prius dubios reddidimus: tertio etefias per æstatem se habere pariter, quicumque sint aspectus, non experimur, sed certius euroboream promittimus sub aspectu Saturni cum Sole, Mercurio, quàm sub quocunque alio; quartò quid annos distinguat non generaliter, sed aliquanto specialius per illam hypothèsim optarem determinari. Huc ergò pilas æolias, quandoquidem mechanismus follium minus videtur congruere, huc antra sive grottas refer, quæ frigus spirant; Circuletur etiam si placet terra, suas partes suo soli diversimodè exponat, suumque coabripiat aerem; quaratur æquilibrium inter aerem calore partem & frigore densum; Benè omnia, & si quid porrò ad originem ventorum videatur facere; Interim veritas, ubi Nicodemum de ignorantia in spiritualibus convincit, ne naturæ quidem motus nobis satis cognitos inculcat: *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, sed nescis, unde veniat, aut quò vadat.*

Supraest, ut Etetias quoque modum assignemus virtutis in Barometrum; Ponunt autem diversi diversa motuum mercurialium fundamenta: Aeris incumbentis columnam brevioram vel altioram factam sibi concipit, qui alium gradum barometri in imo quàm summo montis observat: Aerem condensatum vult gravius premere, qui mercurium in vase clauso ab intruso aere sursum pelli vidit: Aerem expansum pariter urgere mercurium sursum movet, qui novit hoc à calore pati barometrum in vase itidem clauso: (viderit autem uterque, ubi locum hoc modo clausum, qui aerem ita coerceat, in oceano libero inveniat.) Qui denique menstruum imprægnatum heterogeneis gravius, præcipitatis ipsis levius meminit, aerem quoque effluviarum accessu graviolem, exoneratione eorundem alleviari prætendit. Si cui tales mechanismi displiceant, & videatur opus spiritu vel motore vitali, (ut sunt diversi hominum gustus, de quibus, volunt, non esse disputandum) consulat *Henr. Morum* (& Epist. *Sturmi* ad *Morum*) in *Enchir. Met.* & in notis ad *difficiles naves*, qualiter quidem observ. citc. *Experim. Torticell.* sive dissertationem

hydrostaticam *M. Hale*, Angliæ Justitiarius dicitur inscripisse; sed quem titulum jure carpit & corrigit *Morus*, & cui *Wallijus* respondit pro aeris pondere, ut colligimus ex *Ad. Lips.* ann. 1696.

Temperant æstatis fervorem Etesia, & multas morbosas affectiones in corpore humano abstergunt: Hoc ultimum est, quod usum concernit in *Galen*i verbis, quæ pro fundamento supra posuimus, scil. beneficia illa, quæ redundant in aerem, & per aerem in hominem; Qualia ut captarent *Cycladum* incolæ, i. e. ut etesias elicerent, atque sic suavi frigore squalorem & sterilitatem ab agris removerent, certis ritibus ac hostiis id curasse dicuntur: Sed qualiter & *Theophrastus* de Cretensibus scribit, Etesias ipsis quondam planè defecisse, & ab *Aristæo* sacrificante fuisse revocatos, ut fabulantur. Suppetunt autem passim testimonia de salubritate Euroboreæ; Hoc *Plinii* est: *Ventorum frigidissimi, qui à septentrione spirant; li & reliquos compescunt, & nubes abigunt. Saluberrimus omnium aquilo, quia siccus & frigidior.* Illud *Corn. Celsi* ex lib. 2. c. 1. *Frigus prodest juvenibus, & omnibus plenis, erectiorque mens est, & melius concoquitur, ubi frigus quidem est, sed cavetur. Saluberrimi sunt sereni dies, meliores pluvii quàm tantùm nebulosi aut nubili, optimique hyeme, qui omni vento vacant, æstate quibus favonii perflant. Si genus aliud ventorum est, salubriores septentrionales, quàm subsolani vel austri sunt. Sic tamen, ut hæc interdum regionum sorte mutantur. Aquilo sanum corpus spissat, & mobilius atque expeditius reddit.* Habuit hoc ex *Coo*, qui in aph. 17. §. 3. ita: *Quotidianæ constitutiones aquiloniæ cogunt corpora, & firma, agilia, beneque colorata, ac auditu valentiora reddunt, &c.* Sic aer & venti conservant corpus humanum, & sunt de censu rerum dictarum non naturalium; sed hæ vicissim nos lædunt, ubi vel ipsæ recesserint à constitutione suâ, vel fuerint nostri in earum usu commissi errores. Qualiter æstas se habet, modò calidâ nimis & siccâ intemperie omnia torrens, aliàs non satis excalesciens & excoquens, nisi medium teneat: Taliter etesias quoque considerabimus, quæ peccant vel in defectu vel in excessu, & utroque modo morbosos effectus per pathologiam protendant,

Aquiloni *Cons* opponit *Austrum*: Defectu igitur Etesiarum vel silet aer, nec movetur, ad analogiam aquæ stagnantis deterior fluente, vel dominium obtinet auster, calidus & humidus, sub quo facilis corruptibilium putredo. Hujus autem venti, & harum qualitatum prædicata prioribus sunt contraria: *Plinio* iterum *æstuosus auster, humidus, præsertim Italiæ, noxius, quia fortè humidus. Minus esurire spirante austro creduntur animantes;* Uti mi-

nor est appetitus æstate, difficilior concoctio, juxta aph. 15. 18. f. 1. & comm. Galeni, ubi consilium: *Studendum, ut frequenter pauca exhibeamus.* Celsus item: *Auster totum corpus efficit hebes, humidum, languidum.* Etiam hoc ex Coo, qui cit. aph. & 5. f. 3: *Anstrine constitutiones corpora exsolvunt & humedant, auditum hebetant, caput gravant, vertiginem oculis, tarditatem corporibus adferunt, alvum humedant, pigros & languidos reddunt.* Iterum Celsus: *Nimius calor corpus effœminat, nervos emollit, stomachum solvit, concoctionem prohibet, somnum aufert, sudorem digerit, obnoxium morbis pestilentibus corpus efficit.* Et hæc ex Coo, qui omnia habet, aph. 16. f. 5, & insuper *animi torporem, hæmorrhagiam, deliquia.* Sunt quidem & æstatis beneficia, eaque amplissima, quis enim frumentum speret & vinum bonum hoc frigido climate, nisi calore solis bene excoctum, (messum utique siccâ hâc æstate habuimus optimam) pariter humano corpori tempestivus debetur calor: *Frigidioribus regionibus salubrior æstas esse consuevit, calidioribus hyems, Wedelius aph. aph. 17. 3. Æstate & ad aliquam autumnii partem melius degunt & valent senes Hipp. aph. 18. f. 3.* Et quæ de noxâ calidi ex aph. 16. f. 5. fuerunt recensita priùs, intelligenda sunt de frequentiore ipsius usu; laudes enim calidi leguntur aph. sequente 22. Sunt tamen & æstati morbi proprii, congrui, qui aliis interdum anni temporibus etiam fiunt, sed æstate magis tum fiunt tum exacerbantur; Sc. aph. 21. f. 3. *Nonnulli veris morborum, & febres continuæ & ardentes, & tertianæ plurimæ, & vomitiones, alvi profusiva, ophthalmiæ, aurium dolores, oris ulcerationes, genitalium putredines, & sudationes, sive, ut Celsus, quidquid sudore hominem resolvit.* Proin uti frigus vel humidum est vel siccum, diversæ originis, pro illo quippe boreas deflectit ad occasum, pro hoc ad ortum, & diversimodè nos afficiens, sic & æstatis calor vel jungitur humiditati vel siccitati ad diversos in terram & hominem effectus, sub euronoto vel libonoto: *Ex constitutionibus autem anni in universum siccitates assiduis imbribus sunt salubriores, & minus mortifera. Assiduis imbribus morbi ferè fiunt, febres longæ, fluxiones alvi, putredines, epilepsia, apoplexia, angina: Siccitatibus autem morbi tabifici, ophthalmiæ, artuum dolores, urinae & intestinorum difficultates, aph. 15. 16. f. 3.* Siccitatem itaque non corrigunt Etesia, potius humida siccant, ventilant tamen aerem & plus minus refrigerant ipsum quoq; calido-siccum, eum stringunt, in elatere suo firmant & intendunt. Cremat ignis fortius sub flatu & frigore boreæ, quàm austru *Helmontio.*

Quale remedium lipothymia est, quam angustia fortè calido-humidi

balnei induxit, in conspersione cum frigidâ, aceto factâ, in solo liberioris aeris appulsu; Talis est recreatio æstiva languenti homini afflente aurâ frigidulâ, quæ respirationem procurat liberiores, spiritus reficit, habitum corporis confirmat, dissipationem nimiam coercet. Modus enim agendi quo lædit æstus excitatis *Celsi & Galeni* locis huc redit: Incipiunt corpora laxari & rare fieri verno tempore, relaxantur autem usque magis æstate & meridianis caloribus: Calor noster in sanguine suo & spiritu æstate ad externum sibi affinem quasi protenditur, (sic interiora relinquit infirma) ubi dissolvitur & dissipatur, per sudorem & insensibilem transpirationem utilis cum inutili materiâ nimium difflatur. Consumto hinc necessario nobis humido siccare incipiunt & tantum non exarescere fontes nostri, saliva fit pauca, tenax, siticulosa molestissimè, occasio frequentis illius causæ morbificæ, & famosæ in tristibus effectibus, haustus scil. intempestivi; parum tunc mingitur, minus quàm hyeme; & alvus sicca tardat, utrinque seri defectu, sc. extorsum versi & ibi consumti: Nisi vel humidus calor relaxet, vel bilis acuta in choletam fortè effervescat, aut præcipitata alvi fluxum cieat, vel fructus horæi uberem fermentanti corruptioni materiam præbeant, vel stomachus languens cruditates ingeneret & calida causa frigidos effectus producat. (An ergò æstivo tempore calidis cibis ac generosis vinis utendum sit, si forte quaras, responsum habes apud *Heurnium* ad aph. 15. s. 1.) Conjunxit talia per æstatem pro febribus & dysenteris *Sommerus* in *ENC.* loc. cit. sc. appetitum ad cibos maximè calidos t. t. dejectum, ad potus frigidos affatim ingerendos excitatum, vigorem coctionis fractum, crudorum humorum farraginem, potus & fructus horæos impuros, facillè putrescentes, cum aeris intemperie & inquinazione, &c. Qualia scil. æstas infert vel per se vel per accidens, & qualium ubi de etesibus sermo est habenda ratio tanquam conjunctorum & læpius concurrentium; Quorum tamen omnium determinatio est à variâ ex- & recipientium conditione, pro diversitate temperamentorum, ætatum, prout sani vel causarii, urbani vel rustici, assueti sunt vel non passionibus aeris, in quos ipsæ cadunt.

Qui diaphoreseos specialiozem habuit curam *Sanctorius* in medic. static. ipsam in aph. 78. s. 1. & aph. 27. s. 2. ad molestiam quoque passionis æstuosæ sub defectu etesiarum applicat: *Quibus aliquid perspirabilis, in vehementissimis æstivis caloribus exhalare prohibetur, calor est molestus: quibus verò perspiratio omni ex parte est libera, calor non molestus. Æstate calore vexamur non primò & per se propter aeris caliditatem, quælibet enim corporis pars est aere æstivo calidior, sed quia in aere æstivo non est tanta frigiditas, ut naturalis calor sufficienter concentretur, quo fit,*

fit, ut ita diffusus, minus possit perspirabile sua naturâ calidum insensibiliter excernere: quod retentum redditur acre, & est causa, ut magno vexemur calore. Et sequentes theses fuerunt *Corn. Bontekoe*, ut doceret, calorem in febribus esse expellendum calidis: Calor in sano vigente circulatione major, sed minus sensibilis, minor in sanguine coagulato & tardius moto, verùm jam sensibilis, molestus; In sano liber exitus, per transpirationem in auras velocissimè evanescit calor, non diu in parte hæret, sed celeriter & liberè transit; Quæ in febribus omnia contrario modo se habeant. Hoc quidem experientiæ est, calorem dum siccus est in paroxysmo esse graviolem, ubi madere incipit, reddi tolerabiliorem.

Inter effectus speciales canicularis æstûs per etefias molliendi non prætermitti debuit brutorum rabies, tanquam è præcipuis, & eò gravior, quò tristioris consequentiæ ad hominem, cui virus indè illatum novam brutinam superinducit naturam, ægrè debilem, quæquè adeò ipsum diriter excruciat, antequàm violenter destruat. Sic autem non modò *Plinius: Canes toto eo spatio* (scil. ab exortu caniculæ) *maximè in rabiem agi, non est dubium, sed & Georg. Baglivus de tarantulâ: Nec cuilibet regioni, nec quovis anni tempore venenifera est tarantula, sed Apulie duntaxat, atque æstivo tempore præsertim urente caniculâ;* cum quo etiam tempore olim demorsi recrudescunt veneni persentiunt. Quoniam plura apud Hunc concurrunt phænomena regionis fervidæ, cujus incolæ dicuntur aerem quasi ab ardenti clibano efflantem spirare, juvabit ergò ipsa paucis tangere; legi autem meretur integer libellus. Ex unâ parte ponitur fructuum ubertas, regionis amœnitas, piscium & carnum affluentia, aeris salubritas, citantur venti orientales & septentrionales, videtur ibi favonius habere etefiarum vices, quippe qui spiret paulo ante vel post meridiem ab adriatico, & demulcere aliquantum ardentis Jovis calores: Ex adverso leguntur familiares ibi febres ardentissimæ, morbi inflammatorii, frequens copia canum rabidorum, major scorpionum virulentia, major etiam numerus melancholicorum & maniacorum, quàm per reliquam Italiam. Notior est horum venenorum historia, quàm clara causa: Adustos humores, summè exaltatos spiritus quis non accusanti *Baglivo* concesserit? *Mart. Listerus* ad salivam canis, animalis non sudantis, septicam imprimis attendit tr. d. hydrophob. ubi & communis effectus qualitatum contrariarum notabilis, siquidem canes non solùm maximo æstu, sed etiam per maxima frigora in rabiem aguntur. Non excludet violentia hæc, quàm patiuntur ab extra, stimulum alium, qui intus ipsos non sinit quiescere,

sed jugiter inquietat, donec favente anni intemperie in furorem agantur, scilicet vermes subesse canum rabiei observantur. Pertingit autem æstivus ille fervor per ipsas aquas ad pisces quosdam, eosque fugat; non solum enim aurata se tunc subducit in latibula, sed etiam lucius in fluviorum arenâ, in limo stagnorum absconditur, subterfugiens aquas tepescentes, latitans contra ista cavata, quippe lupus, ferox, carnivorus, calidior aliis, quo ipso probatur à *Job. Anton. van der Linden* esse asinus *Athenæi* in *Deipnos.* & *Æliani* d. animal. qui asinum & asellum latitare solum dicunt calidissimis sub cane diebus, cum ceteri pisces frigidissimis se abscondant; hæc autem nota cum reliquis quadrat in lucium, non in cabeljavum, *Select. Med. Diss. 11:* ubi multa de cane ex *Petavio*, & pro sole ac solo contra stellas ad anni vicissitudines ex *Salmasio*, de quibus nos supra ex *Kepplero* & *Sturmio*.

Defectum tandem Etesiarum in morbis epidemiis non prætermisit *Hippocrates*, aded quidem diligens observator, ut generale *An. Foesii* commentatoris pronunciatum hoc sit: *Suspectam semper habet æstatem Hippocrates, in quâ etesia pauci, nulli, aut divarsi, disjuncti, interrupti, dispersi, non continenter spirant.* Equidem *lib. d. aer. aq.* hyemis aquiloniæ, veris austrini vitia corrigi, morbos æstate metuendos abstergi posse monet, siquidem sub caniculæ exortum aqua & hyberna tempestas (utique proportionata anno, non excessiva) supervenerit, & etesiæ spiraverint, tunc quietis spem fore & autumnum salubrem &c. In *libris autem epidemiorum* tres occurrunt constitutiones, quæ inter alia ob defectum etesiarum malè audiunt; Una statim est in limine *libri primi*, altera *libri secundi sectione tertiâ*, tandem præcipuè infamis *libri tertii sectione tertiâ*: Cum annus austrinus, calidus, humidus, nubilosus & caliginosus esset, (ubi ex non factâ determinatione loci, quæ Hippocrati aliàs usitata est, universale quid arguunt interpretes, quasi ad pestilentes omnes constitutiones magnum haberet instar.) Tunc etesiæ iterum pauci, disjunctim spiravere, & mobi fuerunt ex putredine magno ibi numero legendi. Unde thesin hanc Hippocraticam generalem eruit *Welfchius* *cur. 2. Dec. 3:* *Non minus cognosci morbos ex temporibus, aerisque constitutionibus, quam ex morbis anni tempora & ventos & siccitates & humiditates.* Sed ut ibidem legere est contradictum fuit huic thesi à pluribus: *Galenus* eam concessit particularem, in *comm. ad aph. 11. sect. 3.* sive dubitavit, num scripserit Hippocrates instructus sufficienti observationum numero, cum verò thesin faceret universalem, & vellet necessariam, Ipsum non observationem sed rei naturam fuisse secutum prætendit. *Bern. Ramazziani* in *app. ENC. 2. 9. & 10.* curiosè descripserat epidemiam mutinensem duplicem

plicem, tertianas scil. diversas, priorem ruralem cum anno humido lutulento, alteram urbanam cum sequente sicco & pulverulento, & has phænomenis atque methodo medendi distinctas, sic thesin illam confirmâsse visus: At in *app. ENC. 3. 4.* alias exhibet cogitationes posteriores de morbis epidemiis per subsequens triennium, hâc maximè in adversum tractus observatione, quòd una & eadem fuerit epidemia petechialis febris, cum tamen esset valdè dissimilis constitutio annorum illorum trium à se invicem. De nostris epidemiis si quid dicendum, notorium omninò est, olim petechias, martis utique & annorum injuriis primùm fundatas, postmodùm ad quinquennium urbi inhærentes, ita ut modò quiescerent post editam stragem, modò resurgerent, fuisse extensas per tot annos diversarum prorsus in aere constitutionum; fuisse interdum sub talibus, quas culpâre in præsens non licebat; siluisse tunc interdum, & postea, sub tam perverso aere, quo jure metuisses malignas, non tamen insecutas. Interim verum fuit illud *Ol. Borrichii* in *Act. Hafn. V. 4:* *Malignitas febrium hyberno gelu non mitigatur;* Item illud *Rhamelii:* *Pestis brumali frigore cessat, encephalonosos* (febris castrensis, maligna, petechialis) *viget.* Atat novæ sunt petechiæ, variolæ; *Hippocrates* eas suo tempore non novit, vel non pro dignitate descripsit. Nostræ autem tertianæ, quæ jam in tertium annum, post breves quasi in hybernis moras, corripunt plurimos nostrorum, non obstantibus hæctenus aeris mutationibus suum motum continuant; fuerunt tam sub gelu Maji & Junii, quod vinearum frondes adussit, quàm sub Julii & Augusti æstu, qui pascua exussit. Aliàs rectè se habet, quòd pro morbis anni partium habetur ratio non unius, sed aliquot earum se excipientium, quarum una priorem vel intendit vel corrigit, cujus rei leguntur specimina in aphorismis & libris epidemiotum; Et morbi olim congrui partibus anni, sunt adhuc tales, utut non æquè omni anno. Sc. annus fructificat, & morbificat, i. e. præter semen & agrum tota anni constitutio concurrat ad sperandos vel metuendos utrinque fructus. Hic ergò qui quatuor qualitatibus quatuor humores nostros, non malè, si congruè explicentur, accommodant, pro morbis æstivis accusant bilem, (acidum volatile sulphureum) nunc genitam, exaltatam; Qui hos insufficientiæ arguunt, ad occultius quid ex latentibus aeris qualitatibus se conferunt, ad venenum, peregrinum ætherem: Apud priores causâ procatartica non æquè admittitur, nisi ubi offendit proegumenen, posteriores habent causam quæ promiscuè irruat in obvios. *Ramazzinus* quidem post plures instantias redit tamen ad austrum, hunc diætæ vitiis compluriumque errorum syndrome jungit, tanquam famosum etiam apud Mutinenses, sive calidus humidus, sive virulentis efflu-

viis inquinatus sit, qui tam vitalibus muniis minus idoneus, quàm sustinendo barometro impar observatur, indigus omninò quem ventilent etesix. Quid si verò pestis alicubi ab austro virulento orta deducatur hinc ad alios non infecto aere, sed per contactum, aut si mavis per terrorem? Interim ab austro pestilentiam metuerunt veteres, e. g. *Celsus*, sed expressè non omnem. Id mireris, cùm *Hippocrates* aeri aquas, loca, stellas, & plures circumstantias addiderit pro deducendis morbis, cur non ut *Thucydides* in suâ historiâ addiderit bellum & belli injurias, hæc enim multum valere observantur; & sunt, qui cieri utrumque à communi causâ velint. Denique huc spectat Divinum illud Hippocratis, quod si ullibi in epidemiorum certè ortu, duratione & occasu se exferit, & demonstrat tam sub correptione & abreptione mortalium, quàm evasione fataliter.

Non autem defectu solùm peccant Etesix, cùm non mittuntur, sed & cùm non admittuntur; Sicubi fortè talis loci situs fuerit, qui propter obstacula montium, aliave, appulsum ventorum ex plagâ septentrionali & orientali intercipiat, & ibi habitantes beneficio ipsorum plus minus defraudet. *Hippocrates* cit. libr. d. aer. civitatum ad mundi plagas respectum quadruplicem sigillatim prosequitur; Laudat inprimis expositas soli orienti, ventis inter æstivum solis ortum & hybernum, tanquam quæ sint aeris temperatioris, aquarum salubrium, morborum pauciorum, similes veri in suâ temperis & morbis, ubi fœminæ fœcundæ, homines coloratiores, vividiores, claræ vocis, ad iram ac prudentiam melius comparati. Similes laudes citantur passim ex politicâ *Aristotelis*, & architecturâ *Vitruvii*, quos videtis; addatur apud *Heimontinam* mons Domini. Quæ verò ventis exposita est calidis, qui perflant inter brumalem Solem orientem & occidentem, tecta autem est à septentrionalibus, tali morbos austrinæ constitutioni prius adscriptas assignat. Subest autem ille loci cujuscunque situs conditioni generali totius provinciæ, prout ipse quidem *Com* Europam ab Asiâ, utramque septentrionalem à meridionali sollicitè distinguit, tribuens suum cuique in moribus & morbis. Hæ circumstantiæ limitant mutationem aeris ægris injunctam, dimissionem ipsorum in aerem rusticanum, quod solenne legitur *Mortono*, *Bagivo*, aliisque.

Potest huc referri quæstio, inter nos passim in discursu familiari agitata: Cuius tertiana epidemia urbis partem, quæ ad Nicrum, citius invalerit, gravius exercuerit, pertinacius ipsi inhaerit? Humilior illa pars urbis est, cui obstant ades altiores, clivo montis impositæ, quò minus liber apponat aquilo; Exponitur soli meridiano, qui gravior ipsis incubat, cum aliis incommodis conditioni ipsarum propriis: Obvertitur austro illi, qui hætenus malè audit,

sed

sed, qui juxta *Celsum* nobis deberet esse multo minus gravis, minus noxius, quia non à mari immediatè, verùm à mediterraneis regionibus veniens salubrior, quem non excipimus, ut Itali per mare, nisi per intermedias alpes & nostras & rhaeticas prius defæcatum & alteratum: Cui adde vallem, in quam liber inde prospectus, perflati commodè ab euronoto & Zephyro, coextendi cum tractu illarum ædium ad fluvium, ubi non stagnat aqua, (qualibus siccatis vicinia prius communiter febricitans jam dicitur vivere liberior alibi) sed ubi decursum Nicri communiter comitatur fluxus aeris. Transire tamen, exspatiari ad aquas, uti frequentare templum, suspectum est nostris, metuentibus illam tertianam nimis quàm facilem ad recidivas. Nec alio potu vel cibo novimus usos, qui ibi habitant, quo febris induci potuerit; prout quidem apud Belgas post esum de cabeljavo, pisce pingui, & putredini opportuno, febris quandoque cur exsurgat, sollicitus inquit *van der Linden* l. c. Cæterùm fuerunt sub principium in vicinis ibi pascuis stativa militum, (per paucos tamen dies) & ipsorum agros excepit vicinus ad meridiem pagus, miserè indè mulctatus; nec hoc ergò erat prætermittendum, quia febrium inde stativa deduxerunt alii, tanquam contagiosæ malignitatis refractæ gradum infimum, quæ abhinc reliquæ urbi etiam nullatenus pepercit, interim epidemiorum morte sparsim quosdam vel præteriit, vel tenuit lenius, vel dimisit à relapsu immunes. En! quanta per omnem naturæ obscuritatem sit rationum difficultas.

Historiola, quæ per multa veterum Scripta vagatur, variis traditionibus mutata, hîc prætermitti non potuit, quia medicinam tangit, & etesiarum beneficia; *Diogenes Laertius* eam recenset de *Empedocle*, multis modis, scribens, eum virum admirationi habitum, *Timæus* autor est. Namq; etesias aliquando vehementer flantibus, adeò ut fruges corrumperent, excoriari asinos jussit, factisq; utribus eos collibus & montium verticibus admoveri ad comprehendendos flatus; cessantibusque ventis, ab eventu rei καλυσαμέναν vocatum esse. Ridiculè satis, quoniam aliter & verosimilius *Plutarchus* rem eandem narrat: *Empedocles* Physicus, cum animadvertisset gravem quendam & pestiferum austrum per montis scissuram in campos mitti, obstructâ eâ, pestem à loco avertisse visus est: Regionem sterilitate & pestilentia, obstructis montis faucibus, per quas anster in campos incidebat, liberavit. Ita insigni dexteritate criticâ *Menagius Laertii* stupidum errorem, pro Αξοφύγας ὄρας, legentis Αξοφάξας ὄρας, correxit. Unde omninò etiam corrigendus *Henrius*, qui in comm. ad aph. 5. l. 3. *Acroni* tribuit liberatam à peste Siciliam, & quidem per bubula coria ventis coercitis; Item *Schraderus*, qui in comm. ad eundem aph. *Hippocrati* liberatam à peste Graciam, cum præ-

cluso aditu austri spiritibus, aquilonem immitteret: In notis enim *Menagii* ex *Plutarcho* uterque & *Acron* & *Hippocrates* non obtentis austro coriis, vel ventorum ope, sed accensis crebris ignibus id præstitisse legitur; Quod tamen passim frustra factum testantur posterii.

Dictum autem fuit supra, Etesias peccare non modò defectu, sed etiam excessu, & sic induere rationem causæ morbificæ: Nam non solùm in *epidemiorum libro primo sectione secundâ* in thaso, cùm annus fuisset totus humidus, frigidus & aquilonius, tunc etesias dicuntur continenter spiravisse, neque admodùm ferventem sed moderatam fuisse æstatem; adscribuntur autem huic æstati & autumnino lienteria, dysenteria, diarrhœa, stranguria, vomitiones, tabes, febres continuæ, paucis ardentes, plures intermittentes; sed etiam *libr. d. aer. &c.* apud eos, qui septentrioni expositi habitant, morbi passim vagantur laterales, & acuti, alvi duræ existunt, pleraque vasa ipsis intrò rumpuntur, &c. ob corporis intentionem & ventris duritiem; neque enim posse invalescere ejusmodi morbos, ubi alvi liquidæ fuerint, ut sub calido & humido austro. Item *aphor. 5. s. 3: Ab aquilone tusses, faucium asperitates, alvi dure, urinæ difficultates, horrores, laterum & pectoris dolores fiunt.* Et quibus frigidum inimicum sit, traditur aphorismo non uno, scil. 17. 18. 20. s. 5. & apud *Celsum* l. 1. c. 12. seni, tenui, vulneri, & pluribus indè partibus maximè exanguibus & nervosis. *Wedelius* tamen in *aph. aph. 17. 3: Ab aquilone producti effectus cum austro comparati omnes minus graves sunt.*

Nec in ipsâ meteorologiâ omni culpâ vacat plaga mundi septentrionem inter & ortum, quin calamitatem inferat non unam: Grandinosus sanè per æstatem interdum fit euroboreas, videlicet citat. *ephem. Tubing. & ENC. 3. 5. 275*; Pruinosus etiam est, juxta *Dist. Præsidis* d. gelicidio, cujus ipsum meminimus edidisse nuper Specimen die duodecimo Junii, aded prope solstitium æstivum. Sic ille flatus in se & ad hominem ex methodicorum sectâ est strictus & stringens, oppositus laxitati austrinæ, æstivæ tendentiæ extorsum, quamdiu medium tenet beneficus; rigidior autem inclinatur ad coagulandum, lacescendum, illud in ordine ad humores, hoc in ordine ad fibras nerveas. Frigus ab autumno in hyemem cogit atque densat corpora, reprimat ad interiora calorem cum sanguine & spiritu, à quâ retrocellione meliorem sub frigore appetitum deducit *Galenus* in *comm. ad cit. aph. s. 1.* Cum calore autem per æstates comparatum est variè: Majo fortè, Junio & Julio ante dies caniculares calor est major, quàm postmodùm per ipsos; quanquam primus calor, quia adhuc novus, possit esse molestior, vel videri major, utut reapse non sit: Interim multum importat duratio caloris, adhuc ulterius per Julium in Augustum

gustum protensi ad efficiendum nos ipsâ diuturnitate gravius. Ille tamen æstivus calor modò interrumpitur, modò excipitur inopino frigore, & à tali facilius utique & gravius percellitur præcalesfactum corpus; hoc autem fundamentum etiam est erroris, qui subest famosæ passim antiperistasi, quæ in specie per æstatem prætenditur in cellis & locis subterraneis frigidioribus tum creditis, & tepidis hyeme, scil. ad sensum nostrum, non ad rei veritatem, quippe non ad fidem thermometri. Nihilominus corpus nostrum aliter hyeme, aliter æstate constitutum, & aeri utrinque suo tempore contemperatum, uti minorem recessum tunc sentit facilius, & æstimat gravius, ita omnem subitam mutationem experitur periculosiorem. De rigore venti non rarò audiuntur querelæ, quòd quasi radar, qui in eo gradu tepor videretur hyeme. Caterùm *Celsus: Corpus caloribus relaxatum subito frigore excipi, quandocunque evenit, noxium est.* Hinc quàm per æstatem intempestivus frigida hæustus, & imprudens æstuantis corporis denudatio, frequenter contingunt, & fortè conjunguntur, tam malè eedunt; *Evolv. quæ subministrat B. Wepferus ENC. 2. 10. 71. & Præsidis B. Parens in trigâ thesium medico-practicarum. Itinerarium,* nî fallimur, nam ad manus jam non est, *Legati Gallici in Siam* prudentiæ talis fructum exhibet, cum sub ipsâ lineâ æquinoctiali, nudantibus aliis corpora, suum Ille magis sollicitè regeret, quippè reliquis indè febrientibus lpte sanus perstitit.

Legi hinc etiam merentur observationes *Car. Pisonis d. coll. ser.* plerunque enim scribit de propriis passionibus à septentrione: primò sub finem Augusti, ineunte autumno, eos quibus serum redundat, si in tegendo corpore minus fuerint cauti, à frigore nocturno vel matutino pati observat dejectiones copiosas, aqueas ex prædominio, etiam biliosas aliquatenus, aut tantillo cruore affusas, ex hac ætiologiâ, quòd serum per densatos ab ambientis inclementiâ poros evadere nequens introrsum deorsumque pulsus & detrusus atque percussus abluat per hepar bilem, ab intestinis fæcum reliquias, secumque ita per hanc corporis sentinam naturæ providentiâ expurget. Deinde aeris frigidioris vim in me, scribit, à pluribus annis meo malo ita experior, ut nunquam boreas sæviat, quin uti mihi intestinum quantum quantum est dies noctesque sentiam, ut ex eo dolore vel in conclavi, imò in lecto, boreæ flatum etiam lenem certissime diviner prænunciemque. Tandem subjungit, idem serum in vasis & habitu corporis multum repentino aquilonis flatu, cui vis inest in comprimendis vasis, ex circumferentiâ corporis depulsus, iter relegere ac remeare in interiora, indeque pleno alveo torrentis instar in vasa urinæ descendere, pro paroxysmo nephritico, ubi saburram offenderit sabulosam. His adde diversos *Vallesii* ab austro & aquilone catarrhos, ab illo quidem, quia humectat & replet, caput gravat, cum fluxu copiosiore & febre, ab hoc, quia penetrat, mordet & refrigerat spiritalis partes, & si quid succi redundat velut exprimit, sed cum siccitate, & sine febre, aut certe cum acutâ, ob internas inflammationes, *comm. ad epid. l. 5. § 7.*

Claudat agmen aphorismus 5. § 4: *Sub cane & ante canem difficiles sunt purgationes.* Hunc inter vulgi errores in medicinâ retulit *Jac. Primerosius lib. 4. c. 11.* ob rationes non nullas, quia quæ veteres de hoc fidere scripserunt experientiæ (in Angliâ & Galliâ, non respondeant, quia tantus sub cane

ardor ibi non sit, quàm olim in Græciâ, quia etiam sub cane si hodiè impensè caleat, cras fortè temperatius erit cœlum, quia Majo & Junio interdum vehementior ardor quàm canicularis; Non ergò numerandos dies, sed attendendum æstum, & tunc servandam Hippocratis regulam: Nec tamen, ubi opus, purgandum mediis hippocraticis, nisi præparatis & parciore dosi, sed mitibus, lenibus, quæ nec corpus valdè accendant, nec humores ad eò exagitent. Quæ in quantum cum nostris conveniant, patet. Qui *hypecacoannam* principiis febrium & dysenterix destinant recentiores, poterunt alios ex Hippocrate in subsidium vocare *aphorismos æstivos*, sc. sect. 4. 4. 6. 12. sect. 5. 15; sed nos ista dum scribimus calore fessi subsistimus:
 Dominus Deus noster, qui ambulat super pennas ventorum, & angelos suos facit Spiritus, urbi restituat & conservet salubritatem!

Recht wohl stimmt überein der That mit der That/
 Da Kunst und Weisheit Er mit Gott erlanget hat.
 Die Frucht zeugt von dem Baum/ so Er uns weist hier.
 Glück zu! Es folge bald der Doctors Hut und Bier,

Dieses setzte seinem Herrn Vetter glückwünschend bey
 M. THOMAS BURCKHARD HOPFFER, SS. Theol. Stud

DE mollibus dum dicis ETESIIS,
 Ardenter opto, Remigium Tui
 Semper laboris VENTUS inflet
 Perplacidus Benedictionis.

*Ita Clarissimo Dno Respondenti Cogn. suo æstim.
 applaud.*

M. ANDREAS CHRISTOPH. ZELLER, SS. Theol. Stud.

Wer reine Gottesforcht als Richtschnur sich erwehlet/
 Dem hat in seinem Fleiß der Segen nie gefehlet;
 Und wen des Höchsten Hand zur Weisheit selbst den führt/
 Bey dem wird nach der Zeit viel Ruhm und Ehr verspührt.
 Diß können wir an Dir/ Geliebter Bruder/ schauen/
 Denn Dir des Himmels Gunst will gleiches anvertrauen/
 Die Deiner Jugend Fleiß und Arbeit so beglückt/
 Daß Deine Wolkarth sich nach unsrer Hoffnung schickt.
 Wolan! GOTT wolle Dich noch immerhin regieren/
 Das Dir vertraute Werk so rühmlich zu vollführen/
 Diß Dich ein schöner Lohn für Deine Müh ergetzt/
 Und Esculapius in Doctor-Orden setzt.

Dieses wünschen aus Brüderlicher Affection
 Johann Ehrenreich Weißmann.
 und
 Georg Tobias Weißmann.